Chelstowski Dionysii Epitaphia Divi Martyris Stanislai Episc. Crac.

typis Cler. mont. Czest.
1713.

EPITAPHIA

DIVI MARTYRIS

STANISLAI

EPISCOPI CRACOVIENSIS
in Rupella post necem
T V M V L A T I.

Quibus annectuntur

EPITAPHIA


Petravini resuscitati à D. STANISLAO
Długossii Canonici Cracov: Chronologi.
D. STANISLAI.
Boleslai Regis Occisoris.
&
ILLUSTRISSIMI DOMINI

FRANCISCI SZEMBEK

DAPIFERI REGNI
Magni Cultoris Divi Stanislai
Ab indigno Servo & Exoratore F. DIONYSIO
CHEŁSTOWSKI Ord: S. P. P. E.
CONSCRIPTA.

Typis Clari-Montis Częstochoviensis 1713.

In Stemma.
Illustrissimi & Reverendissimi DOMINI.



Cùm roseos Patrio referas in stẽmate flores.
Omen perpetui Lechia veris habet
Hic Patriæ promittit bina Capella triũphos
Cornua nãque oleas pacis, & arma dabũt.

ILLUSTRISSIMO

&

Reverendiſſimo Domino

D. MICHAELI

IN SŁVPOW

SZEMBEK

Dei & Apoſtolicæ ſedis

gratia

EPISCOPO PAPHENSI

SVFFRAGANEO, DECANO,

VICARIO

in ſpiritualibus,

&

OFFICIALI GENERALI

Cracovienſi &c. &c.

Domino Domino Patrono Benefa-ctori Clementiſſimo.

ILLUSTRISSIME
&
Reverendissime Domine.

AD Tubam Nominis Tui, etiam mortui resurgunt. Sepulchrali inclusus ergastulo Divus Stanislaus, sistit se Tibi, sola nominis Tui excitatus voce. Michaël cum sis famæ Tuæ glorioso sonitu, non solùm orbem viventium, verùm etiam & pro-

fundas

Domg Professd Crac: SS: ad S Barbaram

fundas mortuorum reples cavernas. Sub ſigno libræ D. Michaëlis, pretioſa morte, mori contigit Staniſlaum in Rupella, ſed æquè ſub fauſto reſurgit ſigno, quia ſub gentilitio Capricornu Tuo, Non me obteſtatione illa Salomonicâ ligabis Illuſtriſſime Domine. Adjuro vos per capreas, ne ſuſcitetis, neq; evigilare faciatis dilectam (*animam Staniſlai*) donec illa velit: *eam enim D. Staniſlai Tibi teſtatam voluntatem*

luntatē pro cōperto habeo, ut pro Te ſemper, veluti Antipater vigilet: pro cujus indeſinenti cultu Tu quoq; vigilas, & inſomnes ducis noctes. Altercabatur Michaël Angelorum Princeps de corpore Moyſi, variaq; movebat quæſita, ut ſepulchri Moſaici locum exploratum habere poſſet; Tu verò Angelici Cleri Princeps MICHAEL ILLUSTRISSIME DOMINE ſinè ullo altercationis motu, non ignotam ſan-

ctioris

ctioris Palinuri D. Stanislai habens ſepulchralem arenam, devotis quotidiè ſpectas oculis, corpuſq; Moyſis noſtri, ubi decumbat, minime in dubium vertis, cùm bene ſcias eum, in Tuo reconditum manere corde, ibiq; felicem ſortiri requiem, ità, ut dici liceat, & Druſum tumulus pro Jovis arce manet. *Quod Tragædus ſcripſit, hoc veriùs Staniſlaus expreſſit, his verbis ad Te:* Conſigno Tibi imaginem vitæ meæ.

Exem.

Exemplar ejus ita obſervaſti, ut omnigenæ perfectionis Sczepanovianæ ſtylum imitari, ſtuduiſti. Pontifitium poſtquam profundo humilitatis affectu complexus es pedum, illud ſtatim, in pietatis, quam à Tuo didiciſti Staniſlao, veluti in firma ſolidaſti petrâ. Pietatis officia dum ſedulo exerces animo, non verbo, nõ nutu, neq; imperio, verùm mero exẽplo ad paria cogis agenda. Nemo ſibi perſvadere poteſt, ut non conetur

devotâ

devotâ repetere praxi, quæ Te in ſpiritu humilitatis egiße pro Deo, & Orthodoxæ fidei incremento, ſumus experti. Tyara Tua, qua Te ſupremi Numinis coronavit Imperium, non tam ſub ponderoſis gemmis ſæpè gemit, quàm dum eam planè aſſiduo in Eccleſia Dei gravare videris labore, eamq; frequenti atterere uſu. Neſcis Tibi parcere, imò ad Altare Dei conſumere Te vis, ut ſoli Deo, laboribus fractus, in victimam

cedas,

cedas. Expresserat quidam vivo planè colore aridũ Rosæ germẽ, cui volitãtes appinxit mellificas apes, ex siccâ tamen Rosæ virgultâ, succum nullum reportantes, cum hoc adjecto: Nos autem sperabamus. *Procul est, & erit ariditatis nota à vestro Roseto (quanquã & proprio in conservationem Corporis Reipublicæ Vosmetipsos evisceratis sanguine) quod cœleste Numen supremo donavit humore & honore. Medul-*

la

la Rosæ Vestræ *phtysicæ siccitati minimè obnoxia, quia vitioso fonte nunquàm humectata. Nos autem sperabamus, sed spem nostram superavit eventus. Primas & Princeps est florum, Rosa, ex qua non aliter sperabamus, nisi Primatem Principemq; Regni aliquando oriundum. Symbolum silentij Rosam dixere priores, nos autē sperabamus ab hoc silentiario flore supremum Regni Cancellarium nasciturum, sed spem nostram*

su-

superavit eventus, cùm is, qui os Regni fore tantùm sperabatur, simul sit oraculum mundi. Quot folia Gentilitiæ Rosæ, *tot inexplicabilis Dignitatis Præsules, & Purpuratos Quirites numeramus SZEMBECIOS: jam Metropolitanam Gnesnam avita Stanislai Principis Primatisq; Regni Rosa coronat, jam Paphensem Cathedram Rosa Michaëlis felicissime fulcit, jam Livoniæ sedem, & Chełmensem Præsulatum*

utriusq;

utriusq; Christophori Szē-
bek Rosa *gubernando de-
corat: nos autem idipsum
sperabamus. In supremo
Dapifero Regni Capitaneo
Radomiensi etiam spes nos
non fefellit: quidquid enim
sperabamus, Rosa effectu
docuit.* Nec *hîc meta, nec
hîc scopus spei nostræ, huc-
usq; sperabimus, & cum vo-
tis nostris luctabimur, quo-
usq; & Te* Illustrissime Do-
mine *& universam Celsis-
simam Domum in supremo
Honorum culmine, faven-*

te

te Deo non ſpectabimus. Ad ſonum Tubæ Michaëlis Tutelaris Tui parebũt Honorum agmina, vocemq; Tuam audient, & ſub umbra odoriferæ Roſæ Tuæ quieſcere ambient, ſub qua & Sacra Divi Staniſlai ut requieſcant oßa, exoro.

Illuſtriſſimæ Dominationis Veſtræ.

Humillimus Exorator & Servus.
F. Dionyſius Chełſtowſki.

Approbatio Ordinarij.

ANno Domini 1713. die 9. Augusti hunc librum, Epithaphia Divi Martyris STANISLAI Episcopi Cracoviensis intitulatum & bene scriptum, diligenter legi & approbo, M. Basilius Płaszewski Sacræ Theol: Doctor & Professor, Ecclesiarum Cathedralis Cracoviensis Canonicus, Collegiatæ Sanctorum Omnium Præpositus S. R. M. Secretarius Librorum Diæcesanus Censor.

mpp.

EPitaphia D. Martyris STANISLAI & aliorum à Reverendo Patre Dionysio Chełstowski Ordinis nostri S. Pauli Primi Eremitæ SS. Theologiæ Doctore Vicario Provinciæ Priore Cracoviēsi Professore Theologiæ cō posita, & à nostris Patribus perlecta & probata, ut typis mandentur facultatem concedo. Anno D. 1713. 22. Mēs. 7bris.

F. Anastásius Kiedrzynski
Provincialis.
mpp.

EPITAPHIUM I.

Siste gradum Viator.

HIc ego sum Pastor
quem propria arietavit ovis.
Velleris aurei hæc ovicula fuit,
sed brevi pilum mutavit.
Unctam oleo more Regum non semel linivi
eius tamen unctio extrema mihi facta est.
Ex Cannis Kiiovienſibus redux
desidiosum tulit in moribus Annibalem
dulci amore Patriæ, in acidum mutato humorem.
Dulcoravi melleo verborum succo nimis amaram
in patritios regnandi Principis potestatem,
minimè tamen
ex Severiensi Duce clementem feci.
Corruptelam morum quoties curavi,
toties lividius, quasi recrudescens
de die in diem vulnus inveni.
Coronatum caput, si infirmari vidi,
manus meas imposui

pessimè tamen erga me habuit.
Throni alieno thoro coinquinati si vindex
zelosus extiti:
pro zelo, notam aulæ reportavi.
Si quando turpe fácinus non coloravi
discolor, & discolus aulæ dictus fui.
Pupillorum si causam egi,
causam offensæ dedi.
Viduarum iniurias si proposui,
Litigiosum ens me Regij dixêre Quirites.
Ecclesiarum census si expostulavi
pro censu, censuram obtinui.
Naturæ leges, exlegi Regi, si custodiendas suasi;
eos ipsos catellos, quos, naturæ suæ oblitus,
humano ablactandos fecit ubere
latrare contra me fecit, non sine crudeli morsu.
Crimine læsæ Maiestatis notatus,
illud crimen fateri cogor;
me voluisse Principem,
in throno fuisse,
extra omne crimen.
Sacris intentũ me Boleslaus adijt,
non

ut pre-

ut preces funderet ſed ſanguinem.
Circa cæleſte convivium,
meam dum occupabam mentem,
ut Angelico Aram Dei inſtruerem edulio,
en ecce
non invitatus ſe ſtitit hoſpes,
qui
Humanitate Corporis Chriſti,
minime civilior factus
inordinato guſtu caput meum appetijt,
acſi
Cæleſtis menſa,
ipſo Rege pro inciſore egeret.
Scrutatus eſt gladio caput meum,
ut ſciret
occultas cogitationes meas,
inde tamē, nihil expiſcari potuit,
præter odium vitiorum.
Stylum ferreum impreſſit cerebro meo,
Capur enim meum ſchola patientiæ erat.
Ejuſdem farinæ ſecum ſævam duxit catervam
ut

pessimo eorum fermento totam corporis mei massam corrumperet.

Currebant veloces pedes eorum, ad effundendum sanguinem, certè hic cursus meus, decursus fuit. Sacra Deificis carnis manibus, dum tracto mysteria malè tractor à Rege. Hosti Hostiam opposuî & veluti scutũ contra ictum belli supra caput elevavi. Jntra Sacrificij oblata venerat iratũ terræ Numen placari tamen propitiatoriâ altaris minimè potuit victimâ. Modum consecratorium vitiavit Princeps, dum elevato Corpori Christi novũ idq; cruentũ accidens superaddidit. Jterum pati Christum còégit Boleslaus novam etenim in conversione Panis in corpus fecit alterationem. Incredulũ se reddidit Thomam ex vulnere, cùm tamen levi corde cito credere consveverat auritis susurronibus vulnere dignis. Non plus ultra consecrationem, in divinis mihi progredi licuit

ut in-

ut infinitum etiam ex operante
maneret meum Sacrificium.
Hic mirare Viator
Ego ſeminavi, alter metit,
alter me à fructu arcet;
ego cœnam meam inſtruxi,
ſed inimicus homo venit,
& quæ parata erant deſtruxit.
Eluſit deſideriũ meum Boleſlaus,
poſuit enim ori meo cuſtodiam,
ut non ſumerem cibum grandium.
Divino id factum puta viator conſilio,
ut
non guſtarem Sancta Sanctorum
in fortitudine enim cibi illius,
caderent à latere meo mille,
& decem millia à dextris meis,
& non tam citò compos fierem laureæ certaminis.
Adverte tamen Viator,
quomodo enim ſpeciebus velatum
ſumpturus eram Deum
quo jam tunc facie ad faciem,

per ſpeciale martyrij privilegium
frui erat conceſſum.
Ante fractionem panis in oſculo pacis
mors Sancta me prævenire juſſa,
ne,
ſi ex fractione panis me cognoviſſet Boleſlaus,
ab intentatâ ceſſaſſet nece.
Pignus futuræ gloriæ reliqui Boleſlao,
talibus enim hoſtijs,
etiam ab hoſtibus promeretur Deus.
Agnum Dei ante communionem
in pectore meo non poſui,
ut
eſſet qui peccata Regis tolleret.
Condole Viator
ubi Ioannis verba finem ſacrorũ debebãt claudere,
ibi concludunt Boleſlai verbera.
Devenire ad initium Ioannis
me non permiſit Principis ira,
verebatur enim
ne hæc Evangelica Aquila Iovis miniſtra,
verba ſacri Evangelij verteret in fulmina.
Hic in Domino obdormivi,
ante

ante ſumptionem Cænæ Domini,
& in umbra mortis noctem feram
meridiano tempore inveni.
Somno Iacob occubui
cui tota Rupella in unum,
ſupra quem caput reclinavi,
coaluit lapidem,
Morte Baptiſtæ deceſſi,
cum hoc tantùm diſcrimine
quòd ibi motu Regis,
Saltatrix puella in caput eius inſilierit,
hìc ipſemet Rex tranſiliens Rupellæ colles,
in collum capitis mei impegit.

EPITAPHIUM II.

Subſiſte Viator

Et ubi cecidiſſe Staniſlaum conſpicis,
ne mirare:
hic enim caſus profundi cultus erat,
non infortunij.
Prodiit in lucem non obſcuris Genitoribus
cuius claritatem Rex extinxit
ne

Majeſtatis ſuæ maculæ
hac monſtrante luce
Polonis paterent Catonibus.
Sors naſcendi fecit eſſe nobilem
correxit tamen modum naturæ pietas
& fecit in hoc genere nobiliſſimum.
Cognata Deo ex nomine Bogna
conſanguineum Chriſti enixa Filium,
Genitricem,
Divinũ quid ſpirantem ſortitur Staniſlaus
nihil enim affinitatis habuit
præterquam cum Deo.
In Bogna Deũ invenit Staniſlaus;
Ità enim expediebat,
ut authorem vitæ in utero reperiret
de Sczepanovio progenitore
innocens virgulta Staniſlaus
Regias aliquando caſtigatura culpas.
Neſcit Sczepanovius palmes alias gignere plantas,
quàm, quæ aut refloreſcunt in Pontificium
Sacratioris Aaronis pedum,
aut
per repercuſſionem more Iacobi
pellem

pellē mutare cogunt in ovibus.
Excreverat postmodum
hic Sczepanovius surculus
in ardentem rubum
in quo cornuta satis armatus facie Rex apparuit
qui, fractâ lege contra proximum *non occides*
Sczepanovium Sanguine Sacerdotali extinxit rubū
Degeneraverat de stirpe Sczepanovia
hæc virga in Rhamnum,
sub umbra sua quietem datura illis,
quibus Regia
oliva minimè deserens pinguedinem suam,
imperare non erat digna.
Post trinam coniugij decadem
mille votis expetitus,
inter natos mulierum
Surrexit Stanislaus
ut
exinde esset gloria Patri.
Provectam ætatem Patrum
hic sacer expectavit partus,
ut,
ubi repuerascunt senes,

ille ſimul puereſcere inciperet
cum Patribus.
Extra tempora naſcitur,
quia Levita Chriſti futurus erat.
Szczepanovios genitores
arborem ſcientiæ boni diceres
à qua nihil mali exſurxit pullulans arbuſtũ,
Diu vetita hæc arbor erat,
ne fructum ſuum ederet,
acſi
deliberare videretur natura parens de eo,
quem violentâ manu à protoparente Regni
præſenſerat carpendum Boleſlao.
Ad ſeniles uſque parentũ annos,
differtur Stanislai Geneſis,
melius enim,
hic Geneſis liber edi in lucem non potuit,
quàm authoribus veteris teſtamenti.

EPITAPHIUM III.

Sta Viator
Et cerebrum meum

quo

quo Gneſnenſeš excoluerunt Athenæ
de parietalibus recollige tabulis,
& tuæ imprime memoriæ.
Nequaquam ſtylum ferreum intellexeram
quem dictante Boleslao libens didici,
ac ſi erroneus capitis mei fuiſſet ſenſus
Rex ſolus cenſorem egit,
& caput meum,
crudeli gloſsâ adnotavit.

Lege Viator & luge

muta ſaxa capiunt mentem cerebri mei,
quàm Rex noluit intelligere ut bene ageret.
Repetit ictum Rex terq; quaterq; pulſat,
& tamen poſt repetitas vices Barbariſmum ſuum
emendare noluit.
Plana ſemper cerebri mei fuêre cogitata,
ut tamen
clariùs paterent Sereniſſimo Regi,
expoſitionem eius,
ſolus fecit in pariete.
Expoſitor cerebri mei
ſeipſum capere non potuit,
nam & caput meũ cum articulis cõmiſcuit,
&

&

contradictionē in Regno admisit.

Adverte Viator

maluit cerebrum meum adhærere parieti

quam Regi.

Ut oblivioni darem Regis inclementiam,

memoriam mihi cum cerebro abstulit.

Vide Viator

quàm sudant parietes Templi,

quos cerebrum meum fatigat.

Excusabiles forent sicarij,

si sinè cerebro

crimen consummassent.

Apprehende Viator

&

disce à pariete cerebrato passivum esse.

Indelebile est,

quod spectas Viator,

Speciem enim facinoris sui

tunc Rex parieti impressit,

quando sacri massam cerebri pressit.

EPI-

EPITAPHIUM IV.

Adeſto Viator
& hæc fragmenta collige.
Fruſta ſunt, ſed non fruſtra,
ſub dio jacent, quia ſoli Deo.
Admirare Viator
veſaniam Regis ſatellitis,
niſi eſſent phantaſtica corpora,
in ſacra non ſæviſſent membra.
Aquilas intuere Viator,
partes diſmembratas cõgregant,
congregatoris enim ſunt Symbola
Apoſtolici Ioannis.
Antequã partes partibus copulẽt,
ſolem priùs pupillâ conſulunt,
ut
Simetriam partiũ ordine naturali collocẽt.
Manum non apponunt,
ubi eſt officium oris,
pedeſq; non aſſociant manibus

optimè

optimè enim noverant compositionē eius
dum in Gnesnensi nido, & manum
literaria exercebat pennâ,
& pede scholasticum terebat pulverem.
Ne crimen parricidij inureretur sicarijs,
verum climacterico
ut crederetur obijsse Stanislaus fato,
in septuaginta dismembratur frusta.
In minutas scidit digitos partes iniquitas,
ne haberet justam ex digito malitiæ mensuram.
In aures Pastorales desæviunt,
nè
aliquando suo Pastori
tantum nefas confiteri cogerentur.
Manus innocuæ sanguinem
proprium sibi propinant,
&
ubi calix Sacerdotalis deest,
pugillo poculum passionis
ori adhibent.
Sævitur in pedes Stanislai
verebatur enim iniquitas
ne hoc organum pedale
fugam

fugam modularetur Regi,
Threnũq; de throno præluderet.
Esto totũ corpus putatur dissolvi,
idæa tamen eius manet illæsa.
Symbola Regni aquilæ assistunt corpori,
putantes per ipsam necem
jam exauthoratum Regem
& sic quodammodo se transferunt ad Stanislaum
seq; resignant in manus eius.
Insignia Regni Aquilæ
nunc signa doloris & gemitus.
Fatigata stitit impietas,
nec amplius vulnera vulneribus addere ausa
ipso enim septimi numeri mysterio
ab opere pessimo quiescere & feriari coacta.
Prope erat dies septimus,
hinc feriam sextam
neci destinant,
ut anticipent quietis à servili opere diem.
Ne aliquando pro patrato crimine
impossibilis obtentu venia
videretur scelestis,

Septu-

Septuaginta ſe patitur offendi
Stanislaus homicidijs
poſt repetitas enim ſeptuageſies delictorum vices,
capaces veniæ, iratum Numen facit reos.
Neronem egit Boleslaus in parentem crudelis
ut licentioſiùs imperaret.
Jn cuſtodes corporis cælitus datæ aquilæ,
ne infidelitatis arguerentur,
corpus mancum in integro reſtituunt.
Ad cadaver exangue
contra morem Eccleſiæ ſilente Clero
en veniunt Aquilæ,
ad quid?
ut canant vigilias.
Adverte Viator
Annularem jugulato corpori deeſſe digitũ
vade & inquire.

EPITAPHIUM V.

Sta in littore Viator,
Piſcis hic
quem inter undas ſpectas
ſquam-

ſquammea tumba eſt,
in quâ
magnus Secretarius,
quia ſilentij index, idemq; notarius
ſepultus eſt.
Requiem non hàbet
in profundo enim lacu eſt.
Communi ſepultura privatur,
interdictum enim locale
antequam latum eſſet,
ſcrupuloſus in ſe, obſervare videtur.
Ad piſcinam proijcitur,
inde expectans more Apoſtolorũ
vocationem ſui.
Conſepeliri ad Eccleſiam
integro corpore non potuit,
jam enim ibi in locum ſui manus Domini
ſe ei incorporaverat,
& ubi deeſſe ſcriptorium
adnotavit digitum,
nè corpus ſacrum mutilum foret,

supplevit.
Incinerari non debuit digitus,
qui scriptoriâ incineratus sæpe fuit arenâ.
Viator
foveam ei nè fode in monumentum,
planus enim huius articuli stylus
planam debet habere ultimam tabulam.
Viator condole,
viraturus intestinū Boleslai odiū,
en impegit in intestina piscium.
Ad nutum Dei semper erat hic digitus
& tamen inobedientis Ionæ
jacere cogitur in tumulo.
Ad olorinum assvetus calamum,
planè in olorem mutatus
inter aquas quærit funus.
Post cruentam proprij sanguinis pluviam,
ut serenitatem inveniret,
Solem quærit in piscibus.
Nè quidquam deesset ad sui funeris vitam
ponitur in aquario exangue cadaver digiti,
ut ei
asper-

aſperſione funebrali ſepeliendo parentaretur;
Ad aquarium cæleſtem foditur hic digitus
ut
inde adimpleat quæ deſunt paſſioni ſuæ.
Truculentis pænis ſensûs à Boleſlao
dum torquetur venerabilis digitus,
à cæleſti aquario petit refrigerium.
Baiulus erat Corporis Euchariſtici
imo & Crucis gentilitiæ,
Chriſti veſtigia ſecutus,
in Cedron fluvium intruditur.
Inveſtitus Epiſcopali annulo
in piſcina mergitur
ut
& ipſa elementa judicent de valore eius,
quem aula parum æſtimabat.
Moris erat ſignari,
monumenta ſignaculis,
annulatus itaq; digitus piſcinæ
monumentum ingreditur,
ut tandem
ad tubam Michaëlis Tutelaris Rupellæ
reſurgat ad corpus.

Sed adverte Viator
quàm non diu latuit in profundo
hic annuli thesaurus
etenim *secreti nil amnis habet*
Sic dimersa procul durante per intima visu
Cernimus, arcaniq; patet penetrale fluenti
Utq; sub ingenuis agitatæ fontibus herbæ
Vibrantes patiuntur aquas lucetq; latetq;
Calculus. Ausonius.
Proditur annulus ipso indigitante indice,
illa enim consecratorij olei unctio,
qua erat Canonicè illinitus
Supernatans piscinæ,
evulgavit sacri digiti sepulchrũ
Accendunt & cælestes Genij funebrales tædas
ad squammeum digiti feretrum.
ut
hoc lumine gloriæ beatitudo eius,
oculis corporeis videretur.
Educitur ad portum felicitatis,
de profundis digitus,
nè tamen
squammea crypta exhumato
de vi-

de visceribus digito
vacua foret,
ipsa sibi sepulchrum facta.
Novum gulæ genus in piscibus
nota viator,
digitos absumunt,
ut
non extent,
qui hamum piscatorium
sibi nocivum manu tenere nati sunt.
Extremum digiti inungit
in aqua Stanislaus,
nè
inhumanus diviti epuloni
nimia siti laboranti
videretur
Abi Viator
&
ad nutum sacri digiti revertere.

EPITAPHIUM VI.

Quæ verecundam tegebat frontẽ,
nunc
hâc tegitur urnâ,
Infula Stanislai.
Vmbella hæc,
contra æſtum Maieſtatis
erat Stanislao,
verumtamen eam,
Sereniſſimi radius, ſyrio
calore æſtuans ſic perſtrinxit,
ut etiam
capitis dolorem in Præſule cauſaret.
Theca hæc capitis Pontificij
olim ſudoris decidui atramẽto conſcripta
nunc manu propriâ Regis maculata.
Delere voluit Rex ſudoriferos
Stanislai de hac theca characteres,
& ideo manum ſuam
ſanguine innocenti tinxit.
Theca hæc Ethica erat
de qua

20

de qua tamen crudelis Princeps
bonos mores diſcere noluit.
Fulgor huius mytræ
odioſus erat oculis Regis
proinde eam veluti tinea
conſumere conatur.
Theca hæc libro vitæ inſerta eſt,
& quamvis Regio denigrata ſit ſtylo
digito tamen Paternæ dexteræ
in albo Dei continetur.
Lege Viator
& ex hac theca caput Stanislai
venerari diſce.

EPITAPHIUM VII.

Paſtoralis authoritatis inſigne
Pedum Epiſcopale
quo Stanislaus viam mādatorum
Dei cucurrit
en claudicat.

Baculus hic,
quo lupos ab ovili fugabat Pontifex,
à Boleslao frangitur
& nè reflorescat in virgam Aaronis
in cinere sterili humatur.
Baculus hic Pastoralis
Kijovienses in Rege excutiens stolones,
ita in durum impegit nodum,
ut frangi cogeretur.
Fulcrum & basis erat Ecclesiæ
hic Pastoralis Scipio;
sed postquam tota domus Regia
pondere criminum gravata
in Stanislaum
ruere cæperit,
etiam Pontificium sustentaculum
opprimi & obrui debuit.
E vena duræ rupis
trino ictu Moyses crystallinas elicuit aquas,
at Regia Vaveli petra,
post paternos Stanislai ictus,
non aquas puras,

sed

ſed biloſum humorem effudit in Præſulẽ.
Vitale quid latebat in medulla
baculi ejus Paſtoritij,
nam ad tactum,
ſpiraculum vitæ quatriduanus
recepit Petravinus.
Tridente Neptunus
ad pervadendum æquor
opus habet,
Stanislaus verò unius baculi
Epiſcopalis ſcaphâ
ſicco pede;
profundum viſtulæ tranſivit álueum.
Virga hæc directionis
virga Regni fuit,
ſed poſtquam in prudentem
verſa eſt ſerpentem,
contra corruptelam morum ſibilantem,
ita eſt ab ipſo Rege incantata,
ut facilè capi & contundi permitteretur.
Columna erat hic Epiſcopalis baculus
ad quam die veneris alter cæditur Chriſtus.

Columna erat Pastorale Stanislai pedum; cui Poloniæ Hercules Boleslaus, nè ampliùs Pontificiam extendere posset in coronatum caput authoritatem, *non plus ultra* styllo ferreô inscripsit.

Viator

Tu huic Pontificio admove manum baculo, & contra adversos impetus, eo te defende.

EPITAPHIUM VIII.

Viator comitare non tam officio pedum, quam ambulatoriæ voluntatis passu, unctas Stanislai exuvias, quas Sponsa Ecclesia Cathedralis novo ad se invitat hymenæo

Translat: Reliq: D. Stanisl ad sedem ordinariam

veni

Veni de Libano Rupellæ
veni coronaberis
Insolens corona Boleslai
meris ijsq; spinosis
intertexta puncturis
in caput Stanislai insilijt,
illudq; cruentavit:
sed pro hoc unico tormẽto Regio
sub trina,
eaq; florentissima quiescere Stanislaus
vocatur ad arcem, coronà.
Rupellæ primam sui obitus linquit cryptã,
Stanislaus,
nam angustia Rupellani loci
magnitudinem operum eius,
& gloriæ vastitatem capere non potuit.
Redit Pontifex post cursum martyrij consummatũ
in propriam sedem
ne tamen gratus hospes pro decennali statione
inconsolatam abiturus relinqueret Rupellam,
animam suam ibi posuit,
sanguinem quoq; uti animæ vehiculum
ne se inde movere posset,
parietalibus muris acclavavit.
Vale

Episc: arcis Crac: hocce dedicatum Epitaphi.

vale Rupella vitæ parens meæ,
quæ me in cinerem abire fecisti,
ut phænicem Regni efformares.
Vale Rupella, concha mea,
quæ unionem dismembrati corporis mei parturisti
Vale Rupella, arca fœderis mei,
quæ me post finita cum Rege bella,
æternis cum Deo copulasti pactis.
Vale Rupella campus certaminis mei,
ubi lauream martyrij per cædem capessivi.
Vale Rupella, sterile solum,
mihi tamen satis fœcundum
dum ex gutta sanguinis,
centesimum gloriæ in te colligo fructum.
Vale Rupella, custos corporis mei,
cui pro fideli custodia;
manum meam cum arrhabone Episcopali relinquo,
quo
spondeo me te nunquam derelicturum.
Vale Rupella, vivus testis passionis meæ,
cui pro testimonio
pretiosam in conspectu Domini mortem meam,
ultimis tabulis consigno.
Vale Rupella, depositaria mea,
de qua

de qua costam brachij mei
ad supportanda adversitatum onera
grati animi ergo offero.
Vale Rupella, limbus meus,
in quo
adventum illius qui me de humo tua salvaret,
expectans expectavi Lambertum.
Vale Rupella, decus coronæ meæ
cui
Pater noster, qui est in cælis,
det panem quotidianum.
Vale Rupella, ager sanguinis mei,
in quo
primitias frugum cum innocente Abel
Deo obtuli.
Valete Sacræ Rupellæ Saxa
quæ me,
ex Sczepanovio Stephanum
Levitam Christi effecistis.
Vale Rupella, lydius lapis meus,
in quo
me Regia probavit manus.

Ne

Ne mirare
me tuos deserere Lares
locum enim tantummodo muto non animum.
Vi magneticâ trahor in Cathedram,
ferrum enim capiti meo infixum
aliter extrahi non posset.
Lambertus Antistes Craci
revolvit lapidem ab ostio monumenti mei,
cui
Sventoslava mulier resurrectionem meam,
de sepulchro Rupellæ,
prædixit futuram.
Abi Viator ex Rupella
& quē quæris, surrexit nō est hic,
Occurre Lamberte velut alter Simeon,
& hoc salutare Dei,
luménq; ad revelationem gentiū
dum in tuum accipis sinum
novo saluta cantico.

EPITAPHIUM IX.

Gnezna Princeps Provinciarum
olim

olim alumno ſuo
nunc Martyrum Magiſtro
hocce ponit monumentum
STANISLAO.
Schola fui Sczepanovio
nunc eius diſcipula.
Manum puerilem eius ad formandas tenui literas,
nunc me tenet ſacra eius dextera.
Lectionem ad captum eius dictavi,
nunc vitam eius legendo, diſco.
Facilitatem genij eius difficultatibus fatigabam
nunc ſola periodum vitæ vix eius capio.
Pane intellectus enutrivi Stanislaum,
& egomet ipſa modo panem
ab eo mendicare non erubeſco.
Lac ſcientiæ propinavi infanti Sczepanovio,
à quo pro lacte favum mellis accipio.
Mancipaveram nobiliſſimum ingeniū eius
artibus liberalibus,
me verò pro nunc in mancipium trado Stanislao.
Sèdes Sapientiæ quondam eram Gnezna,
me tamen hodie ſtare jubet ipſa pietas
coram STANILAO.
Seminarium ſcientiarū me literati
nuncu-

nuncupabant Sarmatæ,
quod cum ita ſit,
Culmus Sczepanovius in culmē
Pontificium evectus cum fructu edocet.
In claſſibus meis nō gratis occupabat locū,
ita enim profecit,
ut primæ claſſis dici mereatur.
Ita plenum ſapientiâ reddidi Stanislaum,
ut ipſæ literæ ab illo diſcere deberent,
mutæ erant literæ meæ Gneſnenſes,
ſed in Stanislao jam factæ vocales.
Lumen erat atticas illuminans noctes Stanislaus
qui luxiſſet diutiùs in candelabro Eccleſiæ,
niſi eum æmulus Boleslaus extinxiſſet.
Fons eram literarum Gnezna,
ſed excreveram deinceps in fluvium
ſcientificos fundente Stanislao ſudores.
Palæſtra eram Tyronibus,
inter quos
ſolus Stanislaus Coryphæus.
Infimam vix ingreſſus claſſem
jam ſublimes de verbo Divino
loquebatur conceptus.
Eruditum jam habuit caput,
ante-

antequam eruditos audiſſet magiſtros;
plus alijs profuit diſcendo,
quám Seneca docendo.
Totus Stanislaus liber apertus erat,
ex quo
cæteri virtutum commata notabant.
Delphicus pro tunc Tripos,
eram Gnezna,
oraculum enim mihi erat Staniſlaus.
Hic itaq; jacet Stanislaus
ſola ſuperſtite immortali ſapientia eius.

EPITAPHIUM X.

Gallia morum norma
Stanislao peregrino ſuo
Sepulchralem effuſis lacrymis inſcribit tabulam
Bonis avibus è Gneſnenſi nido
In Galliæ campū advolavit Sczepanovius,
ut paſceretur inter lilia
ubi Iuri Canonico vacans,
Sanctius evaſit Lycurgus,
Patriæ ſuæ leges daturus.
Appellavit à Gneſnenſi ſcholaſtico foro
ad ſacrum Galliæ Tribunal,
ut inde

candorem æquitatis Patritijs afferret Iudicibus,
Mittitur in Gallias veluti mellifica apis,
quæ de medulla liliorum
ſvavem lenitatis exportavit in Patriam ſuccum,
mitigandæ decretalium acerbitati proficuum.
In Pariſienſi ſiſtitur foro,
ubi
Canonici iuris Areopagitam
invenit ſiné capite
codices Poloniæ vetuſtate corruptos
Gallica lege purgat,
& per digeſta ad bona geſta provocat.
Dum Canonico invigilaret juri,
ita profecit,
ut veluti alter Angelus executor juſtitiæ
corpus juris Canonici aſſumere crederetur.
Ab exteris cogitur petere leges,
domeſtica enim jura indigenarum vitijs
ſæpe fiunt propiria.
Redux in propria Polonus Moyſes monte *Portans duas tabulas teſtimonij in manu ſua ſcriptas ex utraq; parte, & factas opere Domini invenit*, Reum Regni Monarcham: excepit Reus uſq; ad internetionem, & corpus Iuris Canonici in Stanislao diviſit per partes, *iratuſq; proiecit tabu-*

tabulas & confregit eas ad radicē montis.

Hic ne jacet?
incorruptus Iudex Stanislaus,
& ubi præclara peregrinorum juventus
voluptate ſodalium paſſim corrūpi ſolita,
ille ſola Liliorum Gallicorum medela
à corruptela innocentiæ præſervatus
nec minimam Lutetiæ Pariſiorum
maculam contraxit.
Hic nè jacet exoculata Stanislai æquítas?
inter funebrales mortis umbras?
qui dum Galliam luſtravit, illuſtravit.
Hic nè jacet pro Deo cauſidicus!
qui dum cauſam Dei promovet,
ſuccumbit.
Hic nè jacet explorator Galliæ?
nunc verò implorator Numinis pro Gallia.
Vale Viator
& vitam Stanislai Canonum cultoris
pro lege hábeto.

EPITAPHIUM XI.

Viator Statûs ſubſiſte

& quæ facies rerum in Regno sit futura
ex nece Stanislai
ex audacia Boleslai,
disce.
Poloniæ Regnum jam interregnum.
Libertatis Parens,
jam fœdæ licentiæ genitrix.
Cara Patria Regij suo versa in exilium,
imò nec ut exulem pati voluit
nescia punire sceleris Regni magnitudinẽ.
Ad vineas usq; Ungaricas damnatur exilio
ut ibi disceret
quomodo esset colenda vinea Christi.
Ordines statuum, facti disordines,
nam ubi Regius status primum locum tenuit,
deinceps vel extremum vel planè nullum.
Senatorius ordo linguam votandi amisit
ablato capite.
Populus depopulatus,
communitates excommunicatæ,
Civitates sinè civilitate;
villæ viles,
pagi paganis similes,
Colonelli in colonos mutati,
Præto-

Prætoria ſinè juſtitia,
Magiſtratus ſinè judicio,
Forū ex competenti incōpetens,
crimina multa, judex nullus,
ſolus Clerus erat clarus.
Viator ſtatûs Scito.
Ita ſolere plecti Regnorū ſtatus
ubi in Divos delirant Reges.

EPITAPHIUM XII.

Respublica dicor,
nunc veriùs Rea publica.
Publica fui ex bona fama,
nunc magis publica ex Regis ſcelere.
Subterraneis ignota Indis,
ex notorio innotui facto.
Nuncupor Regni corona,
ſed non gloriæ.
Aureo nobilitor pomo,
ſed non ſinè primo peccato.
Exemplum alijs Monarchis dedi,

ſed peſſimum;
prima docui quòd nemo probus diſcet.
Domina Gentium fui,
Domitianum in moribus geſſi.
Neroneæ matris imitata truculentũ geniũ,
non ſemel dixi, occidat modo imperet
Boleslaus.
Secuta ſum Regis errorem,
putans honorem eſſe purpurata imitari crimina.
Fidelitatis obſequium me præſtitiſſe arbitrabar,
dum, non quod lex,
ſed quod Rex imperaſſet,
Eccleſiam perſequi mihi generoſitas erat,
ſed ſinè victoria.
Levitam Chriſti Stanislaum
dum leviter tractavi
graviſſimè plector.
Hoſtis fui
benè ſciens Stanislaum
hoſtiam pacificam fuiſſe.
Vocavit me in ſubſidiũ Boleslaus
impietas enim ſi ſola, ſemper timida,
Adiuvi armis Boleslaum,
ſed

ſed hocce adiutorium non erat Canonicũ.
Conſpiravi,
ut Stanislaus exſpiraſſet:
fædumq; fæ ius cum Maieſtate inij,
ut Stanislaus triumphali potiretur laureâ.
Hic ergo jacet Stanislaus
& in ſinu Reipublicæ ſepulchrum invenit,
ubi vitæ uterum habuit.
Viator
Si quid in me vitioſi ſpectas
Regium eſt.
Abi Viator
& in futurum me tuam
præcave Rempublicam.

EPITAPHIUM XIII.

Hic jacet Sacerdos Chriſti,
quem coronatus laicus
vitæ beneficio privavit.
Patris officium gerebat præco Eccleſiæ,
nam & plectendo mulcebat & mulcendo plectebat.
Oratorem ſacrũ, dum ageret in Cathedra

aurea voce lucrabatur animas,
vitiorumq; defensor acerrimus fuit,
sed,
nè ad suos redirent habitus.
Contra fidem sæpe locutus
sed sectariam.
Ita detonabat contra vitia
ut etiam pluere statim oculi
pænitentium cogerentur.
In vitijs miram complacentiam habuit,
ut ea extirparet.
Peccata non abhorruit
ut medelam faciliùs adferret
Peccatorum non semel secutus viam
sed
ut investigando reduceret errantes.
Postquam jam & ipsa vita regnare velle
animadvertit Sacerdos Christi,
jus vetandi promulgavit.
Cesserat jam thronum Boleslaus vitijs,
tacitè abdicando virtuti & pietati,
huic tamen cessioni solus,
non subscripsit Stanislaus.
Elatus victorijs Kiiovienſibus Princeps,
Super-

Superbiæ vitiorum Reginæ coronam,
luxuriæ aureum pomum,
tyrannidi jus gladij dederat,
hæc tamen insignia solus repetiit Stanislaus.
Sat humilitatis fuit in Stanislao,
dum & cubiculum Regis purgare
ab immundicitia non erubesceret.

Viator

Scopas has collige
& si quid immundi intra cordis tui,
cubiculum vides,
vade & expurga.

EPITAPHIUM XIV.

Viator

Si quæris
quis hic jaceat?
pauperes interroga, & dicent tibi.
hic jacet, qui nos,
abiectam pauperum turbam,
porrectâ manu
de cubili sterquilinij surgere fecit.
Ditiores nos fuisse nemo crederet

in ſterquilinio,
in quos totum, quidquid habuit
errogabat Stanislaus.
Paupertas noſtra gravis
quandocunq; hæſerat in luto,
eam Stanislaus admoto
brachio ſuo exportabat.
crebrò cribrabat fimum,
& non invenit,
niſi depoſitum pauperum.
More Gallinarum revolvebat
pauperum ſterquilinia,
& nec micam inveniebat niſi dediſſet.
Piè prodigus fuit Stanislaus,
etenim
quidquid pretioſi habuit in lutum proijciebat.
Jn angulis quærebat ſollicitè pauperes
in his enim,
veluti in angularibus lapidibus,
Chriſti ſtare credebat Eccleſiam.
E luto pauperes.
quaſi hirũdines ad ſuas evocabat feneſtras
ex quibus, eſcam eſurientibus miniſtrabat

Paſce-

Paſcebat miſeros,
quos depaſcebat fames,
& quibus ſolum cænum cæna erat,
de proprio pænu dabat dapes.
Nihil ei magis ſapuit,
quàm egeſtas pauperum,
nec ei ſufficiebat,
illis tantum neceſſitatibus opem ferre,
quas noverat,
qui ad extimos terminos,
charitatis indage porrectâ,
prius ſolebat indigentium reſpicere cauſas
quàm inſpicere Perſonas.
Nullius obeſſe potuit tenuitati.
ſi Te Stanislae
expetere non poſſit:
nam, præveniebas manibus illũ.
qui non valuerit ad te pedibus pervenire.
Transibat in alienas Provincias
vigilantia tua
& in hoc curæ Tuæ
latitudo diffunditur
ut lon-

ut longe positorum,
consolaretur angustias
& hinc fuit, ut quia crebrò Te,
non minùs absentium verecūdia
quàm præsentium querimonia movebat,
sæpè terseris eorum lacrymas,
quorum oculos non vidisti.
Vale desiderium pauperum
STANISLAE.

EPITAPHIUM XV.

Supra tumulum Petravini.

Hic jacet corruptus testis
Petravinus,
qui etsi sanus corpore non esset,
validè tamen recognovit.
Correxit errorem Petri, à quo derivatur,
nam ab effæminato interrogatus Rege nō negavit,
Possessionem Ecclesiæ,
de qua invida disceptabat aula,
lapide sepulchrali firmavit,
limitemq; posuit.
Ecclesiæ bona Stanislaus aliter
vindi-

vindicare noluit,
nisi
deductis ab ipsa sepulchrali Petravini
foveâ scopulis.
De limbo Patrum revocatur Petravinus,
infernum invenit in aula Regis.
Ut se Stanislaus ab obiectis purgaret,
de purgatorio testimonium adhibet.
Contra audacem Regem,
arescentibus præ timore mortalibus,
sola animantur cadavera.
Ipsemet Petravinus,
clausum sibi aperuit monumentum,
ex nomine enim clavicularius fuit.
A triduano solutus sopore
Somnium vitæ humanæ
interpretatus est Regi
Petravinus,
Mortuam veritatem inter vivos
perspectam habens Stanislaus
viam inter mortuos invenit.
Oritur de terra veritas,
terram Ecclesiæ vindicatura.
Sistitur coram Rege Petravinus,
ut
gressum

gressum Petri reddi Ecclesiæ] exigeret.
Caduco iure bona Ecclesiæ
prætendebat sæcularismus
sed suscitavit caduceatorem Stanislaus,
jus caducum annulantem.
Liberè loquebatur Regi
quia nobile cadaver erat.
Non unam redivivus sortitus est animam,
nam etiam spiritu Stanislai loquebatur.
Hic itaq; jacet,
Resurrectionis Symbolum
non natus, & vivus
veritatis index
Purgatorij incola,
Stanislai miraculosus partus,
Petravinus,
Viator,
in bona Ecclesiæ non invola
nè
& te pij manes cogantur convincere
quibus precare requiem.

EPITAPHIUM XVI.

Supra Sepulchrum Ioannis Dlugosij,
Cano-

Canonici Cracovien: Archiepiscopi Nominati Leopoliensis, Chronologi vitæ D. Stanislai, Confratris Patrum Ordinis S. PAULI P. E. Promotoris Specialissimi, ad possidendum Martyrij locum in Rupella tumulati.

Hic jacet ars longa, vita brevis
Ioannes Dlugosius,
immortalis tamen, quia Ioannes,
sic enim eum superi voluêre manere.
Monumentum hoc bibliotheca est,
in qua
Author vitæ Stanislai clausit
librum generationis suæ.
Emori cogitur eius calamus,
vitæ STANISLAI scriptorius,
quia totus nece Stanislai plenus fuit.
Plane totum Martyrij sanguinem
in chartas chronologicas effudit
& sic exanguis mori debuit.
Vitâ Stanislai vixit Dlugosius,
dum scriberet,
& vixisset longiús.
nisi mors periodum apposuisset.
Virtutes Stanislai dum canonizaret
vitia tamen Boleslai subticuit,
ne pæ-

ne pænitenti injurius foret.
Par Longino fuisset Długosius,
nisi quod ille latus tantùm,
hic totum Stanislai Corpus
acuto calamo aperuit.
Dispersos corporis martyrizati
collegit articulos.
Suumq; piscinæ immersit calamum,
ut totam sinè defectu descripsisset
corporis structuram.
Nemo meliùs coronam Martyrij
in capite Stanislai
meti potuit,
quàm Longinus Canonicus Cracoviensis,
ad coronas Cathedrales natus.
Paulinæ Religionis Philadelphus.
hic jacet,
& in vita, & post fata Confrater.
Viator Religiose siste gradum!
& sepulchralem quem calcas lapidem
gratà mente pervade.
Viator Pauline
nunquā in hoc lapide Rupellæ quievisses,
nisi te Longinus in suo portans humero
posuisset.

& cor-

& corvus tuus ex Arca Claromontanæ emissus,
Sacrum Stanislai non invenisset cadaver,
nisi Præcursor viam monstrasset Ioannes;
Archiepiscopale simul cum vita
hic exuit pallium
satis sibi arbitrans ad gloriam;
sub palmæ Paulinæ tegmento
æternam habere requiem.

EPITAPHIUM XVII.

Inscriptum Boleslao Regi occisori Divi Stanislai, tumulato in Carinthiæ Monasterio Ossiacensi Ordinis D. Benedicti.

Viator Polone
tuus quondam terrigena
nunc à communi exclusus terragio
in aliena alter Palinurus jacere cogor arena.
Dulce solum Patriæ meæ mihi denegatum,
ut
magis amaram obirem mortem.
Dominus fui Polonæ terræ
mandare tamen illi corpus meum
audax non sum ausus.
Pati me mortuum noluit,

 nimis

nimis enim me gravē & onerosum sensit.
Viscera hæreditariæ non merui terræ,
factus alter Nero.
Fatis cedere nolui, & in fata mortis alibi incidi.
Viator ne mirare
Sepulchralem in alieno fundo,
me quærere debuisse foveam,
ita enim sacrum Stanislai magnitudine
virtutis, & latitudine miraculorum
excreverat cadaver, ut tota ei in tumulū.
Patritia vix sufficere videbatur terra.
Viator crede!
s quietis pro me non erat in Patria,
quia nullus locus erat,
quem mea non inquietavit impietas.
Victor eram famosus
sed hanc ipsam victoriā vicerunt crimina,
quæ me, in mortis catastā duxerūt captivū
usq; Carinthiam.
Ex Kijoviensi triumpho
solum non nisi peregrinorum baculum
exilij mei comitem exportavi.
Hostes foris quæsitos expugnabam,
& domesticum hostem voluptatem
libertate donabam
Salutarem Stanislai monitionem
satyricam putans invectivam,
crudo

crudo ferri (dolendum) cum exſpirationis nota,
expedivi ſtylo.
Pro cara Patria, Carinthiam inveni,
oſſaq; mea in Oſſiacenſi humanda
dedi Aſcætorio.
Culinæ ſervitorem ibi dum agerem,
Sceptra Regia, ut mecum arderent,
igni dabam
Portionem cæleſtis gloriæ,
ut mihi præpararem
ſolus coƈturæ me applicui,
nec me puduit in fumo manere culinario,
cui charum erat,
quondam pro focis & aris pugnare.
Mortem inveni in olla
quam in aula Regali habere non merui.
Ad ignem me damnavi,
ut, alter Scævola, interemptricē caſtigarē
dexteram.

Vale Viator

& me minimam ſcintillam Regni
in hoc culinario cinere ſcito ſepultum.
Genuinum tranſumptum Epitaphij
Boleslai Regis uti exſtat Oſſiachi.

Occidit, Romam pergit, placet Oſſiach illic.
Ignotus ſervit, notus pia lumina claudit,
Oſſiach hinc placeat, Tibi Stanislae, Tyrannum

 Mitem,

Mitem, quod factum, cælestibus intulit astris.

Genuinum transsumptum Divi Stanislai ex Długossio.

Tumba Stanislai, cineres tegit ista beati,
Regis Boleslai, quia non favet impietati.
Martyrio meritas cæli migravit ad ædes
Felix, cui Deitas merces, cui sydera sedes

Epitaphium Polonicum.

Duobus versibus supra tumulum Boleslai inscriptum in Ossiach.

Prawdźiwym Bolesławem bydź się pokazuiesz,
Gdy bolesną pokutą złey sławy wecuiesz.

EPITAPHIUM

Illustrissimi & Excellentissimi Domini,
D. FRANCISCI SZEMBEK,
Dapiferi Regni Magni Cultoris Divi Stanislai, in Circulo B. MARIÆ Virginis tumulati.

Hic jacet in Circulo
quasi ad rotundam mensam
Dapifer Regni
more duellantium se gessit cum morte,
nam,
extra Circulum, non movit pedem.

Arte

Arte Philoſophorum, concluſit vitam
in Circulo, ſed non vitioſo.
Quia felicis æternitatis Symbolo.
Aſſumptæ Virginis, elegit tumulum
decebat enim,
ut ibi celebraretur dormitio Roſæ
ubi ſpina nulla.
Cupreſſo antiquitas,
ſua decorabat monumenta.
Hic, à nativis immortalem
mutat decorem Roſis.
Viator ſubſiſte,
& odore Roſarum delectatus compatere:
Folium enim erat vita Dapiferi
quod à vento rapitur.
Tranſplantatur & non areſcit hæc Roſa,
cuius amore ipſi langvebant cæli.
Floridam ætatem, melius concludere
non potuit,
quàm, *in Horto concluſo Mariano.*
Morte prævẽti, ſolent palleſcere mortales,
hic totus rubicundus deceſſit.
Portio erat non poſtrema Regni
hic Dapifer,
& certè evaſiſſet in cibum grandium,
niſi mors in ollâ latuiſſet.
Et Regium plus contentabat appetitum

desiderio sui quàm dapibus.
Quidquid maiestas, dulcedinis sensit,
post fata Dapiferi sui
arma sibi & ipsa dulcedo
non falso gustu videbatur.
Viator attende!
Etiam Regum mensæ
non sinè crudà doloris portione.
sauciant magis quam satiant,
Exquisitæ dapes, quas fata ferunt.
Ita est:
Qui nuper speciales ad placitum Regis
deferebat dapes,
nunc fert lachrymas.
Manus eius tornatiles,
ita rotundam accommodabant mensam,
ut post panes Martios
sola orbis Poloni gloria
gustui esset Maiestati.
Nihil enim unquam
sub tanto Dapifero sapuit
quod aliquando displicere deberet.
Bellorum sanguine sæpè imbuti
Regales cibi,
nè veluti fermentum
Totam læsæ Maiestatis
corrumperent massam,
Præca-

Præcavebat ex munere Dapifer.
Diverſos civium appetitus ſic corrigebat,
ut & eiuſdem ſensûs,
eiuſdemq́; labij eſſent.
Menſam quoq́; Regiã ſic diſponere novit,
ut & calida frigidis, & frigida calidis
amaræ bili dulcia
prout humorem uniuſcuiuſq; poſtulare judicabat,
apponeret.
Illos tantum panes propoſitionis
Regiæ ſubminiſtrabat tabulæ,
quibus, quaſi Bullâ Cænæ Domini
ſciſſos Quiritum animos
ad commune Reipublicæ redintegraret
& revocaret corpus.
Ipſum Miniſterium
cupiditate quadam ambiebat SZEMBECIUM,
cujus
excoctum optimè prælibavit ingenium.
Par Aquilæ Iovis miniſtræ erat,
cum hoc tamen diſcrimine,
quòd illa fulmen hic Miniſter panem
Lechico obtulerat Iovi,
Pro Focis & Aris belligerantes
nunquàm incænatos remiſit
quin eos
Pane benemeritorum refocillaret.
Spes tantum vana alebat alios,

 ſed

ſed illi
pinguem de menſa Regis participabant
fortunæ offam,
quos diſtributiva Dapiferi
alebat dextera.
Procul erat hic Miniſter
à menſa nummulariorum:
bene enim noverat,
hæc alimenta ſtruthionum eſſe,
non hominum.
Adeò vagus ineſt mortalibus guſtus,
ut ſatiati vivo favore Principum
quandoq́; recalcitrent,
Menſamq́; primæ educationis ſuæ
evertere conantur:
Novũq; ſibi licet nocivũ appetitũ formãt,
& poſt mendaces Mydæ currunt menſas,
ubi poſt alios
micas tantum colligere coguntur;
quæ
non tam ſatiant quam exaſperant,
Hanc menſam vetitam eſſe ſibi,
bene norunt illi,
qui ex virtutis merito & non pretij
fidelem Regibus præſtant famulatum.
Mercenarij enim eſt,
propriæ utilitatis ſpectare proventum:
& plus æſtimare ſibi nummum,
quàm

quàm Numen.
ſubitò tales genij
ſua faſtidiunt miniſteria,
ſi eis demas ollam Fortunæ
ad quam magis reſpiciunt,
quàm ad vas honoris.
etſi bene
perſpectam habeant ollam fortunæ
ita fragilem eſſe
ut etiam
ad minimum aulæ ſuſurrum concuſſa
in vas contumeliæ deſinat.
Sola & unica merces miniſterij
Honor ſtat impavidus
etiamſi feriant ruinæ.
Citò nimis ſe deobligant venales miniſtri,
ſi eos
aurea Herculis ad latus Principis
non alligat catena
Libellum Repudij ſæpe petunt ab aula,
ſi ſine dote nummi ducant Regni ſervitia.
Miniſtrum egit & Dapifer Regni,
ſed non ſtipendiarium.
Annuas miniſterij non computabat
Calendas:
nè putaretur aureum numerũ prætendere
Extra tempora etiam
Satagebat circa frequens miniſterium,
ut ſe

ut ſe non temporaneum, ſed ad ultimam
uſq; mortis tabulam
profiteretur Regni vaſellum.
Extra numerum illorum erat,
qui Miniſterij ſui quadrantes,
aureo Pactoli metiri pulvere volunt:
Pondus diei & æſtus
portabat in meridie Dapifer Regni,
groſſum tamen diurnum etſi meruit,
recuſavit.
Alternant alij vices miniſterij ſui,
intervalliſq; ſua relevant fatigia:
hic in deſinenti conatu,
ita ſolus ardua Regi percurrebat negotia,
ut nec momentum eſſet,
ubi ſolidi aliquid in ſtabilimentum Patriæ
non elaboraret.
Multos quidem ultimos conſumentes
numerabat Polonia,
nunquam tamen
egenam videre contigit,
ſub tali Dapifero,
qui etiam proprio non pepercit penu,
ut Patriæ ſatis eſſet.
De induſtria Phalaridis taurum
contra innatum Regni appetitum
in vulcani furno coquebant malevoli,
ut tam ſervili
libe-

liberam gentem tractarent obſonio:
Magnâ tamen Dapiferi Regni prudentiâ
redijt in authores ſcelus,
& pro Tauro Phalaridis
ipſi artifici mugiendum erat.
Jam finitur menſa Regni
ubi finis ultimus vitæ Dapiferi.
Hactenus publica Regni nunquã vacabat menſa
nunc feriari cogitur,
Inter dapes mors eſt hoſpes!
Eheu
Tragice convictor abſtine!
obſonia hæc,
vitæ ſunt nutrimenta non mortis.
Cadaverica more vulturis ede morticinia,
non immortalitatis edulia.
Totum in uno vis conſumere Regnum!
falleris,
hæc enim oſſa,
cibus grandium eſt, non fati.
Diu luctabantur fata cum Dapifero
antequam ſuá potirentur prædà.
In Leonis Gothici inciderat rabiẽ Dapifer
quem affabili & nunquam fucata
comitate morum,
ſerena nata ad utrumq; indole,
amorem ſpirante, oris rarâ modeſtiâ,
cicuravit vultu ut potiùs
ipſe

ipſe Leo capi videretur amore captivi.
Sævire Leo neſcit in capricornum,
cum quo in cæleſti ſtatione
velut in eodem Zodiaci campo
concorditer pabulatur.
Jam & mortem concaptivam ſecum habuit,
Illa tamen fatum eius differre videbatur
nè ſub ſigno inimici leonis occumberet.
Ipſa mors captivitatis horrebat nomen:
nec eum aggredi anſa, donec
ad nativum aureæ Libertatis,
revocaretur ſtatum:
Magis enim ſuperis liberi placent manes.
Poſtquam inconditos maris Gothici ſales
transfretavit Dapifer,
incidit in Pyratam mortem
ſe ad Patrios uſq; comitantem limites,
ubi crepto ſibi aureo Gẽtilitij Capricorni vellere,
Iaſon Lechicus deſijt vivere.
*Citiùs pericula inveniuntur domi
quæ foris evitantur.*
Extra Heterodoxam moritur Eccleſiam,
nè etiam
poſt fata communicare videretur ijs,
quorum diſpar cultus & Religio.
Agni cæleſtis
individuus comes Capricornus Dapiferi,
nè extra ovile Chriſti decederet,
dome-

domeſticos petit Lares
in Regalem Pruſſiam
dum pro reſpirio divertit, brevi moturus
in motu terminum invenit:
& ubi
pauliſper gradum ſiſtere cogitat;
curſum vitæ conſumare cogitur
Ibidem poſt adverſæ fortunæ incommoda,
dum quieti indulgere tendit,
Requiem invenit.
Idem Dapifero portus erat navigij,
qui & mortis.
Debitũ mortalitatis alibi exolvere noluit,
quàm in emporio Regni.
Guſtavit ex munere Dapifer,
& vidit
quia bona eſt negotiatio,
ideo inter negotiantem populum
mori lucrum credidit.
Cognata Principibus Dapiferi ROSA,
Roſam Metropolitani Archipræſulis,
D. ALBERTI,
ut ſibi magis affinem feciſſet,
Pruſſos, mortis ſuæ teſtes eſſe voluit,
quos Archiepiſcopalis Roſa
ſuæ cædis habuit Authores.
Glorioſius moritur in Pruſſia
quàm alibi,

cui

cui non ſimplex perſolvit juſta; cupreſſus
ſed cui
Diva parentat R O S A.
Non ſinè arte
menſam reliquit Dapifer Regni,
quia ſui reliquit deſiderium.
Placere ſingulis ars eſt,
ſed placere univerſis ars artium eſt:
quæ, ita docilem effecit
naturà magiſtrâ Dapiferum
ut ſingulis *Gratianus*, omnibus *Placentinus*
eſſe ſtuderet.
Prima, ei Majeſtatis cura,
primumq; obiectum *Honor Regius*.
In miniſterium Regis totus effuſus erat,
ut etiam proprio non parcere ſanguini
paratum nemo non crederet.
ſi quando menſæ ſerenitatis ſervire
neceſſe erat,
magis ſervivit Regis cordi.
Appetitum Principis
melleo oris ſucco ſic dulcorabat,
ut quandoq;
aſperitates ſtatûs nullum præſeferre
viderentur faſtidium.
Ubiq; fidelem ſe probavit Dapiferum,
dum
nullos oſores Maieſtatis pateretur,
ſemper

ſemper ſtrenuus;
etiam extra menſam,
coronati Honoris vindex
Publicas civium offenſas
in ſvaves immutabat offas,
nè pabulo diffidentiæ,
inteſtina nutrirentur odia.
Eò impenſiùs
Saluti Maieſtatis invigilabat Dapifer,
quò certiùs perſpectum habuit,
ſalutē publicam, affiliatā Regiæ periclitari,
eadem periclitante.
Glorioſior longè apparatus menſæ Regiæ
ſub tanto Dapifero,
quam olim *Antonij*,
Hic in *Cleopatræ* unione:
totum conſumpſit mundum muliebrem
ille in unione Civium,
totum reſtaurare nititur mundū Poloniæ.
Semel tantùm
Regali pompâ inſtructus Balthaſari Regis
convictus,
indigitante imaginariâ dexterâ
inventus eſt minùs habens,
at verò Dapifer
quoties ad menſam apparuit Regis;
emper inexhauſtam de manibus ſuis
diſpenſabat opulentiam.

Receſ-

Receſſit à menſâ Regis
ſed non receſit à corde Regis
Dapifer.
Deſiderium enim *Tanti miniſtri*
ſemper inquilinum manebit
pectori maieſtatis.